RMIr. II
152.

RMIr. 152.

4.

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

exhibens

Fasciculum

QUÆSTIONUM SELECTARUM

DE

NATIVITATE CHRISTI

Quam

Auxiliante Jesulo nostro dulcissimo, suavissimo

&

PRÆSIDE

M. JACOBO SCHNITZLERO

Philosophiæ in Gymnasio Cibiniensi

Professore,

publicè ad

placidam συμφιλολογίαν proponit

SAMUEL BAUSNERUS

Schesburgensis

Respondens,

Ad diem Januarii, Horis Locoq; Consuetis.

1117

CIBINII,

Apud ABRAHAMUM KERTESZ SZENCIENSEM.

CIↃ IↃC LXVII.

Inclyto Urbis Metropolitanæ Cibiniensis Magistratui,
GENEROSIS, SPECTABILIBUS, AMPLISSIMIS, PRUDENTIBUS, CIRCUMspectis atq; Consultissimis D. D.

R 2005-2006

D. JOHANNI SIMONIO, CONSULI,

D. ANDREÆ FLEISCHERO, REGIO JUDICI, & Confirmato Saxonum Comiti, Consiliarioq; Aulico.

D. JACOBO KAPPIO, PROCONSULI.

Nec non

Cæteris Amplissimis atq; Circumspectis Reipub. dictæ Senatoribus;

DN. MELCHIORI STUCKERT,

DN. VALENTINO RÖHRICH,

M.T. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

DN. MATTHIÆ SEMRIGER,

DN. JOHANNI HAUPT,

DN. ANDREÆ WALDTHUTTER.

DN. GEORGIO ARMBRUSTER,

DN. CHRISTIANO REICHART,

DN. STEPHANO WOLFF,

DN. JOHANNI KEISERO, { Tribuno Centumvirali,

DN. CHRISTOPHORO GOTZMEISTERO, Notario Provinciali.

Dominis meis Mecœnatibus, Patronis & Evergetis nunc & semper honorandis, colendis, Exercitium præsens pro STRENA *offert*

PRÆSES.

PRÆLOQUIUM.

Cognitum forsan habes, Lector Christiane, me ante paucos dies, appropinquantibus jam Feriis Natalitiis Salvatoris nostri, à Deo & Inclyto Urbis hujus Magistratu ad Professionem Philosophicam solenniter vocatum esse. Quia autem vidi festivales hosce dies nutu proculdubio divino me quasi monere & invitare, ut tempori serviendo aliquid de dulcissimo Jesulo nostro discipulis meis pro incremento Studiorum suorum proponerem; placuit ipsis una mecum, ut de Nativitate Nostri Jesuli quædam ex Historia Evangelica decerperemus. Feci hoc & ita proposui per octo horas tantùm desideratam Materiam, ut quædam quæsita neq; difficilia captu neq; ostentationi obnoxia deprompserim, sed vulgatissima, talia tamen, quæ ad ædificationem Juventutis nostræ & inprimis ad gloriam Dei vergunt. Si occasio plures nobis suppeditavisset horas, & docendo & discendo uberius quid tentassemus. Nunc interim oramus Deum Optimum Maximum ut hocce propositum nostrum velit efficere nomini suo admirabili gloriosum, nobis verò salutare! Quod faxit Jesulus noster dulcissimus, desideratissimus, suavissimus!

QUÆSTIO I.

An Nativitas Christi per nudam rationem comprehendi & cognosci queat?

DIstingvendum est (1) Inter rationem in abstracto & in concreto sumptam. Illo modo simpliciter negatur quæstio. Hoc modo distingvendum (2) Inter rationem hominis irregeniti & regeniti. Quæstio instituitur de priori. Distingvendum (3) Inter nativitatem ipsam

& ejus circumstantias. Quæritur de illo potissimum; siquidem constat Locum, Tempus aliasq; circumstantias, quemvis qui velit, cognoscere posse. Distingvendum (4) quoad circumstantias est, inter cognitionem aliqualem & salutarem. Non illud sed hoc controvertitur. His præsuppositis neganda nobis est quæstio proposita. Quia (1) Apostolus Paulus Nativitatem Christi vocat magnum pietatis mysterium 1 Tim. 3/16. Quia (2) Angeli desiderant mysterium hoc introspicere 1 Pet. 1/12. At cognitio nostra longè imperfectior est cognitione angelicâ. Quia (3) dicitur Nativitas Christi Sapientia latens in mysterio 1 Cor 2/6 7.8. Quia (4) dicitur mysterium absconditum à seculis & ætatibus & nunc manifestatum sanctis Col. 1/26. Quia (5) experientia testatur Barbaros extra scripturam constitutos mysterium hoc planè ignorare. Errarunt ergò olim Scholastici & ex his Thomas ipse, qui contendit ideo Nativitatem Christi per rationem cognosci posse, quia per fidem creditur Lib. 3. Sentent. d. 1. Falsum enim est principium illud: Quod creditur illud etiam per rationem (nudam) cognoscitur.

QUÆSTIO II.

Quo Anno mundi Christus Natus sit & quot Anni à tempore Nativitatis Christi hue usq; effluxerint?

ETsi cum vulgo omnes jam observemus Epocham Christi ita ut hodie 1666 annum à Nato Christo numeremus, recordari tamen debemus communis illius Regulæ: Loquendum cum vulgo & sentiendum cum Eruditis. Certum enim est errorem chronologicum baud levem in adornandis istis annis Christi irrepsisse. Dionysius enim Abbas Romanus cognomento Exiguus, natione Scytha, vir magnæ, illo tempore, Eruditionis & Authoritatis, ubi

videret

videret Christianos Annos suos ab Epocha martyrum numerare in Primitiva Ecclesia, deinceps annorum formam talem instituebat, ut Christiani â suo Christo Nato initium annorum capesserent. Unde proculdubio præter spem error duorum annorum (uti alibi demonstratur) in Aera Christianorum obortus est, & ita exinde duplex hodie habetur Epocha Christi; alia vera, quæ & Scaligeriana â Schaligero ejus propugnatore dicitur; alia vulgaris seu Dionysiana, â prædicto Dionysio Authore. Juxta illam Christus natus est Anno Mundi 3947. Juxta hanc Anno Mundi 3949. Atq; ita elapsi sunt juxta computum verum â Nato Christo Anni 1668. secundum computum verò vulgarem Anni 1666. Quôd erat ostendendum. Additis jam ad Annos Mundi veros 3947 Annis Christi veris 1668. vel ad Annos Mundi vulgares 3949 Annis Christi vulgaribus 1666, emergunt utrobiq; Anni â condito Mundo usq; ad præsens tempus elapsi. e. g.

	veri		vulgares
Anni	3947	à mundo condito usq; ad Christũ	3949
	1668	à Nato Christo usq; nunc	1666
Anni	5615	à mundo condito usq; nunc	5615

QUÆSTIO III.

Cur Augustus Cæsar descriptionem orbis (imperii Romani) Luc. 2 / 1. instituerit?

AUgustus Cæsar, quem Historici Cajum Octavianum, â Cajo Julio Cæsare, cujus filius adoptivus erat, & â patre Octavio Senatore Romano, nominare sveverunt, ita dictus fuit ab aucto â se imperio Romano. Cùm enim ante ipsum perpetua ferè bella Romanis fuissent cum externis hostibus, iste Octavii filius primò post tam multorum annorum bella pacem composuit; ob quod cùm offerretur sibi

nomen Romuli, tanquam alterius quasi fundatoris Romæ, recusavit illud & Augusti nomen elegit; Unde & hodie Imperatores Romani uti à Julio Cæsare Cæsares, ita ab Augusto Augusti vocantur. Cum jam Augustus Cæsar optatâ in pace placidè regnaret, instituit descriptionem totius orbis imperio suo subjecti, ut exinde cognosceret potentiam & divitias regnorum suorum, ferè ut faciebat David Deo improbante conatus suos 2 Sam. 24/9. ideo videlicet (1) Ut si hostes externi denuò Romanos adorirentur, constaret quantum colligere posset exercitum (2) Ut præsentem tùm temporis militum cohortem eo commodius sustentare & alere valeret. Refert enim Orosius Cæsarem Augustum illo tempore habuisse in procinctu 44 Legiones militum; quia autem una legio valet 6000 ultrò apparet, ducto uno numero in alterum, Exercitum integrum constitisse militibus 264000.

44 legiones
6000 legio Una
264000 Exercitus Totus

Alii tamen numerum unius Legionis censent esse 12000. Alii aliter.

QUÆSTIO IV.

Cur descriptio ista Luc. 2/2. vocetur prima?

CONstat ex Chronologia & Historica Augustum Cæsarem dudum ante Nativitatem Christi descriptionem publicam inchoasse; siquidem Indictio Romana, quæ Calendariis vulgaribus præfigitur, jam etiam tempore Julii Cæsaris erat in usu, imò speciatim septem lustris ante natum Christum Augustus indixerat regnis suis ut singulis quinq; annis Taxa deponeretur (1) ferrea, pro struendis & conservandis armis (2) argentea, pro cudendâ monetâ (3) aurea, pro ornamentis Regiis, sceptro, armillis, diademate &c a q; ita quin-

ita quindecim annis elapsis rursùm inciperet ferrea & sic porrò. Dicitur itaq; hæc descriptio *Prima* ratione Syriæ & Judææ. Nam etsi antea jam sceptrum â Judæis ablatum fuerit & Judæi Romanorum jurisdictioni subjecti fuerint, nulla tamen antehac facta fuerat apud Judæos descriptio.

QUÆSTIO V.

Quid de Cyrenio Syriæ præsidente notandum?

REfert Suidas Cæsarem Augustum viginti viros consulares Romanorum dispersim in Imperium expedivisse, ut connumerarent & æstimarent omnem populum. Inter hos fuisse unum istum Cyrenium, cui Syria & Judæa cesserit. Josephus Lib. 18 de Antiqu. Jud. c. 1. consentit, & hunc quoq; Cyrenium vocat; unde minùs historicè sentiunt illi, qui Cyrenium istum Publium Sulpitium Quirinum Consulem quondam Romanum fuisse autumant.

QUÆSTIO VI.

Quid Bethlehem significet & cur Urbs Davidis vocetur?

BEthlehem nomen civitatis vox Ebræa est, composita ex Beth i. e. domus & Lechem i. e. panis, quasi domus panis aut granarium, promptuarium, penuarium, dicas; siquidem maxima frugum copia circa hunc locum reperiebatur. Ideò etiam Christus panis è cœlo veniens Joh. 6/51. tali loco nasci voluit. Dicitur autem Urbs Davidis, quia Rex David in eadem civitate natus fuit, uti videre est 1 Sam. 16/19. quo ipso etiam validè refutantur Judæi, qui adhuc præfractè negant Messiam apparuisse, etsi sciant Messiam nasci debuisse in Bethlehem Mich. 5/2. quod jam factum esse constat ex Historia Matth. 2/5. stolidi ergò & cœci sunt Judæi qui adhuc expectant Messiam ex stirpe Davidis in Bethlehem nasciturum, cùm nemo amplius de stirpe illa in Bethlehem

hem superſit. De qua materia fuſiùs infra Q. XI. & XII.

QUÆSTIO VII.

Unde conſtet Chriſtum è domo & familia Davidis Luc.2/4. genitum eſſe?

IN eam jam redacta erat paupertatem familia Davidis ut vix coram mundo amplius conſpicua eſſet Matth. 8/20. Joh. 18/36. hinc Joſephum contemptiſſimum legimus fuiſſe Lignarium. Matth. 13/55. Quamvis autem pauperrimus fuerit, tamen è ſtirpe Regia oriundus erat, quod expreſsè teſtatur Angelus in ſomnio Joſepho apparens, Matt. 1/20. Conf. Luc. 3/31. Edixerat etiã Deus in V. T. ne conjugia extra familiam propriam ulla contraherentur, Numer. 36/6. 7. 8. Deniq, è ſangvine Davidis Meſſiam naſcituruum eſſe extat 2 Sam. 7/12. Quod & ipſe Rex David memorat, quando inquit: *Juravit Jehova &c.* Pſal. 132/11. Confer Act. 2/30. In N. T. Chriſtus vocatur filius Davidis, Matth. 15/22. Matth, 22/42. Luc. 18/38. 39. Rom. 1/3. De paupertate Regiæ iſtius familiæ coram mundo, cujus etiam mentio fit Zach. 9/9. Euſebius Lib. 3. Hiſt. Eccleſ. Cap. XVII. hanc recenſet Hiſtoriam: Regnante, tempore primitivæ Eccleſiæ, Tyranno Domitiano, curiosè inveſtigatum eſt, utrum aliquis adhuc è ſtirpe Davidis ſupereſſet? Inventi ſunt duo Chriſti Jeſu quoad carnem cognati, Apoſtoli Judæ Thaddæi nepotes. Interrogavit ipſos Tyrannus, an ex ſtirpe Davidis eſſent? Affirmarunt. Porrò quæſivit: Quæ ergo ipſorum poſſeſſio? Reſponſum dederunt: Nulla præter agrum, Regnum enim Chriſti non conſiſtere in terrenis, ſed cœleſtibus. His auditis Domitianus ipſos tanquam rudes, ſimplices & agreſtes homines dimiſit.

QUÆSTIO VIII.

An, quia dicitur Luc. 2/7. Maria peperiſſe filium primogenitum,

nitum, sequatur, eandem non perpetuò mansisse Virginem?

HElvidius, & qui ipsius impudentiam secuti sunt, olim statuerunt, Mariam Virginem, cum Josepho plures post Christum natum liberos genuisse. Fundamentum hujus impietatis habuerunt, quia in textu Euangelico Maria dicitur primogenitum habuisse filium. At distinguendum est inter terminum primogeniti absolutè & respectivé consideratum. Illo modo Scriptura loquitur Exod.13/13 15. Numer.8/16.17. Deut.21/16.17. Hoc modo ubivis exempla obvia sunt inter homines, ut Gen.25/31.32. Primogenitus enim dicitur etiam qui primò natus est, etiamsi non nascatur tandem secundus. Ita Coloss.1/15 Filius Dei dicitur Primogenitus omnis creaturæ, etiamsi Deus præter hunc nullum alium habeat filium. Quanquam autem omninò piè credamus cũ Antiquitate Orthodoxa, Mariam semper mansisse Virginem, tamen istud dogma pro Articulo fidei nequaquam æstimamus; id quod contra Pontificios notandum, qui sub necessitate salutis credendum esse præcipiunt, quod B. Virgo Maria semper manserit Virgo.

QUÆSTIO IX.

Quid de Diversorio Luc. 2/7. notandum?

REfert Textus allegatus non fuisse locum in Diversorio, ideo Virginem Mariam coactam fuisse recedere in stabulum in præsepe. Cùm enim tempus pariendi approperaret & jam præsens esset in publico diversorio, ubi omnis generis homines confluebant, Maria Virgo non poterat habere locum, in quo commodè & appositè partum salutiferum absolveret; hinc ne coram plurimis pareret hominibus in stabulum secessit Virgo pudicissima. Diversorium autem istud, ut alia transeamus, cujus mentionem fecimus, an in Urbe, an extra Urbem Bethlehem fuerit, non

consentiũt planè Eruditi? Quidã, inter quos Cajetanꝰ super hunc Textum, statuunt Diversorium istud non fuisse in Urbe Bethlehem, sed extra Urbem in suburbiis. Quomodo enim, argumentari quasi volunt, pastores noctu Civitatem portis clausis ingredi, & ad domum ac stabulum venire potuerunt? Nos respondemus (1) In tam altâ optatissimâ pace portæ plerumq́; si non semper apertæ manere potuerunt. (2) Si clausæ fuerunt, pulsantibus, in re maximè tam stupendâ, facillimè aperiri potuerunt. (3) Divinâ providentiâ fieri potuit, debuit, & factum est, ut illo tempore portæ patuerint, quemadmodum enim divinitus Stella monstravit viam Magis ad domũ Jesuli nostri; ita divinitus porta monstravit viam ad præsepe Salvatoris dulcissimi Pastoribus. Negare enim neq́; volumus neq́; possumus Bethlehemam muris, qualibuscunq́; tandem, cinctam fuisse & propugnaculis adeoq́; & portis 2 Sam. 23/14 15 16. Quemadmodum etiam hodie adhuc rudera utcunq́; quædam quidam memorant ibidem esse.

Nostra sententia est diversorium istud, in quo Christus Jesulus noster unicus, natus, fasciis involutus, in præsepio reclinatus fuit, non extra urbem, vel in suburbiis, aut in campo alibi, quocunq́; modo extra Urbem; Sed IN Urbe Bethlehem fuisse. Quia (1) dicuntur Joseph & Maria IN Bethlehema fuisse Matth. 2/1. & ascendisse IN Civitatem David, propterea quia in colle sita erat Luc. 2/4. Quia (2) incertum est, utrũ Bethlehem Suburbia habuerit? Unde etiam Joh. 7/42 *vicus* dicitur. Quia (3) Historica veritas idem testatur. Origenes Lib. 1. contra Celsum inquit: *Ostenditur in Bethlehem spelunca ubi Christus natus est.* Alii idem testantur. vid. Itiner Bunting.

QUÆSTIO X.

An Nativitas Salvatoris nostri Jesu Christi fuerit miraculosa?

MIraculum, Theologicè loquendo, propriè est opus à Deo præter influxum & concursum Naturæ productũ.

Sive jam consideres conceptionem Luc. 1/31.35. sive partum ipsum salutiferum, sive matrem virginem, Luc. 1/31; sive nuntios hujus partûs Luc 2/13. sive deniq; Stellam Magos concomitantem, Matth. 2/9. aliasq. circumstantias, omnia & singula invenies stupenda & admiranda. Hinc Paulus 1Tim. 3/16. magnum pietatis mysterium Nativitatem Christi vocat & Johañes inquit: Verbũ (i. e. filij dei) caro factũ est, Joh. 1/14. Taceant ergo hic omnes Philosophi, & suam fateantur imbecillitatem! Virgo facta est mater & post partum mansit Virgo: Virgo peperit Esa. 7/14. Sancti Patres ob tanti mysterii causam Diei sive Festo Nativitatis Christi diversa, sancta tamen, nomina assignarunt. Dictus est iste dies Sacer, nunc Theophania i. e. Dei Apparitio; nunc natalis Servatoris; Nunc panegyris i. e. Solennitas Christi. Chrysostomus istum ipsum diem metropolim omnium Festorum vocat; ideo, quod quicunq; dies nobis sacer & sanctus sit, ex hoc tanquam principio, ortum suum ducat. Si enim Christus natus non fuisset, neq; passus, neq; crucifixus neq, mortuus dulcissimus Salvator fuisset & esset.

Christiani hodie hunc diem sanctum in Lingva Germanicâ nobis hic vernaculâ duplici nomine appellant, (1.) Diem Christi; quia ille salvatori natalis fuit. (2) Noctem Consecrationis, (Weynachten) quia Christus nocte illâ natus verè diem illum Nativitate suâ sanctâ & per hanc Totum mundum consecravit, ut omnes jam simus consecrati tanquam Reges & Sacerdotes Apoc. 1/6. Placet hic addere sequentem Historiam. Refert *Commestor* Historicus Romæ Templum fuisse, cui nomen *Templum pacis* fuerit inditum; in hoc ipso Apollinem stetisse, qui quæsitus: quamdiu Templum illud duraturum esset? Responderit: *Tamdiu donec Virgo pareret.* Hoc Romani arbitrati sunt impossibile fore,

 adeoq;

adeoq; Templum illud nunquam interiturum putarunt; Hinc in scriptionem Templi hujus posuerunt: *Templum Pacis Æternæ.* Hoc Templum Nocte illâ Nativitatis Christi Jesu nostrijuxta augurium Apollinis interiit. Quia Princeps pacis in mundum venerat Esa.9/6, Eph.2/14, Colos.1/20. Joh14/27.

QUÆSTIO XI.

An Messias mundo in V. T. â Deo promissus jam advenerit?

JUdæi in tantâ verbi divini luce cœcutiunt, somniantes sibi Messiam aliquem, qui ipsos iterum in Terram sanctam hic temporaliter introducturus sit. Falli autem ipsos & turpissimè errare Nos Christiani certissimi sumus ex universa Historia N. T.; siquidem singula vaticinia â Prophetis de Adventu Messiæ prædicta jam adimpleta sunt. Ut autem cœcos Judæos è V. T. redarguamus. Urgemus (1) Vaticinium Jacobi Patriarchæ Gen. 49/10. Argumentamur: *Messias venturus erat illo tempore, quo Sceptrum Judaicũ ablatum erat: Atqui ante 1600 annos tempore Augusti Cæsaris Sceptrum à Judæis ablatum erat, Joh. 19/15. Ergo Messias ante 1600 annos advenit.*

Urgemus (2) Tempus Regno Davidis asignatum Psal. 89/30.37. 2 Sam. 7/16. Esa. 9/7. Argumentamur:

Messias venire debuit, deficiente, quoad respectum mundi externum, familiâ Davidis. At jam dudum ante 1600 annos ita defecit familia Davidica, Matth. 13/55. Ergo Messias ante 1600 annos advenit.

Urgemus (3) Loca ista V. T. Hagg. 2/7. 9. Malach. 3/1. Argumentamur: *Messias venire debuit ante eversionem Templi Secundi tunc durantis & in eodem se manifestare. At dudum illud ante 1600 annos factum est Luc. 2/46. & Templum eversum esse constat. Ergò Messias dudum ante 1600 Annos advenit.*

Urgemus (4) Locum Salutiferæ Nativitatis nostri Jesu Christi,

Christi, Mich. 5/2. Argumentamur: *Messias debuit nasci in Bethlehem & advenire ante ejus eversionem.*

At jamdudum ante 1600 annos eversum est oppidum Bethlehem & vix ulla rudera adjunt, multo minùs aliquis ex familia Judaica Davidis ut constat. Ergò Messias dudum ante 1600 annos advenit.

Urgemus (5) Obmutescentiam oraculorum Ethnicorum. Zach. 13/2, 4. Argumentamur: *Messias debuit venire obmutescentibus oraculis. At dudùm ante Annos 1600 Tempore Augusti Cæsaris oracula obmutuerunt. Ergò Messias dudùm ante 1600 Annos advenit.*

Propter Propositionem Minorem hæc addimus breviter ex antiquis Numismatibus & Imaginibus *Levini Hulsii Gandavensis*, Ita inquit sub imagine Augusti pag. 30. *Christus Salvator noster anno eius imperii XLII. nascitur. Oracula omnia hoc tempore desiisse à Veteribus observatum est. Ipse Augustus ad oraculum Pythii Apollinis Delphis venit, & bis sacrificio oblato, quæsivit, quisnam post eum imperaturus esset, sed nullum habuit responsum: tùm Augustus rogavit, quid ita Oraculum pluribus verbis uti solitum, nunc tandem obticuisset? tùm illud:*

Me Puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere Sede jubet; tristemq; redire sub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus discedito nostris.

Tali responso accepto Cæsar Romam est reversus, atq; ibi in Capitolio aram maximam extruxit cum ejusmodi inscriptione: *Ara primogeniti Dei.* Hæc Hulsius Loco citato.

Urgemus breviter (6) Cessationem Ceremoniarum Leviticarum. Jer. 3/10. 11, 12, 13. Dan. 9/25, 26, 27. Argumentamur: *Messias venire debuit cessantibus Ceremoniis Leviticis. At dudùm ante 1600 Annos ceremoniæ Leviticæ cessarunt. Colos. 2/16. 17. seqq. Ergò Messias dudùm ante 1600 Annos advenit.* Plura libenter adjiceremus, sed properandum est ad sequentem

 quæstio-

quæstionem, cùm videamus angustiam chartæ jam jam nos deludere.

QUÆSTIO. XII.

An Jesus Christus Natus in Bethlehem, regnante Augusto Cæsare, sit verus ille olim mundo promissus Messias?

QUæstio hæc unâ cum præcedenti directè tendit contra Judæos, hâc in parte in summo gradu blasphemos, Antequam autē invicto eos confundamus argumento, tale proponimus dilemma: *Aut monstrent Judæi personam aliam â nostro Jesu Christo, ad quam applicari possint singula vaticinia de Messia; aut agnoscant Jesum nostrum, ad quem omnia, ut debent ita possunt applicari vaticinia, de Messia patribus in V. T promisso. At qui illud monstrare nequeunt. Ergò hoc agnoscant.* Quia autē noluntagnoscere, vindicabit illos ille ipse, quem mox in nubibus tanquam Judicem vivorum & mortuorum visuri sunt Jehovah Deus Israelis, Salvator noster, qui nobis natus nobis datus est, Esa. 9/6. Argumentamur: *Cuicunq; soli & uni competunt singula de Messia in V. T. vaticinia; is solus & unus, neq; alius, est Messias mundo promissus. At Jesulo nostro soli & uni, neq; ulli alii, singula de Messia in V. T. competunt vaticinia. Ergò Jesulus noster solus & unus, neq; alius, est verus ille mundo promissus Messias.* Major propositio extra Controversiam est, etiamsi fremat orbis, orcus, Sathanas, serpens ille antiquus & universa sua progenies. Minor propositio demonstratur.

Repetimus breviter quædam quæ præcedenti Quæstione monita sunt. Messias venturus erat (1) Sublato Sceptro Judæorum, Gen.49/10. (2) Durante Templo secundo, Hag. 2/7 9. Mal. 3/1. (3) Deficiente solio Davidis, quod debebat erigere in seculum, Jer.33/17. (4) E domo Davidis. (5) In Bethlehem, Mich. 5/2. (6) Evanescentibus oraculis, Zach. 13/2,4. (7) Cessantibus ceremoniis Leviticis, Mal. 1/11. Esa. 66/21.

66/21.22. Jer.31.34. (8) Matre existente virgine, Esa. 7.14. (9) Messias debuit tendere in Ægyptũ & iterũ exinde revocari à Deo Ose.11.1. Ps.80.9. (10) Debuit versari in Galilæa, Esa.9/1. (11) Debuit habere præcursorem in deserto. Esa.40.3. Mal.3.1. (12) Debuit esse Propheta ut Moses Deut.18.15.18. Esa.42.1.4. (13) Debuit edere miracula in cœcis, claudis, surdis, mutis &c. Esa.35.5.6. (14) Debuit esse pauper, inops & humilis Zach.9.9. (15) Debuit in Hierusalem equitare super Asinam Zach. 9. 9. (16) Debuit contemni, colaphizari, conspui, flagellari Esa. 53.1.2. seqq. Esa. 50. 6.7. Threnod.3.30. (17) Debuit portare crucem, crucifigi, transfigi & cum latronibus mori Psal. 22.17.18.19. Zach.12.10. (18) Debuit felle & aceto potari, Ps. 69.22. (19) Debuit vestes suas occisoribus suis sorte dividendas dare, Psal.22.19. (20) Debuit sepeliri post mortem, Esa. 53.9. Psal.16.10. [21] Debuit incorruptus manere, Psal.16.10. [22] Debuit tertio die à mortuis resurgere, Hos.6.2. (23) Debuit ascendere in cœlum, Mich. 2. 13. (24) Debuit sedere ad dextram Dei, Psal. 110.1. [25] Debuit mittere Spiritum Sanctum super suos, Joel.2.28.29. Zach. 12.10. [26] Debuit instituere Baptismum, Zach.13.1. Esa.43.18.

Omnia hæc jam in solo & uno Jesu Christo nostro adimpleta esse, per singula membra brevissimè propter chartæ angustiam ita demonstramus (1) Jesus Christus noster natus est regnante Augusto Cæsare & Herode Rege, Luc.2. Matth.2. (2) Durante Templo Secundo, Luc.2/46. (3] Instituit regnũ Davidis æternum (4) Natus è stirpe Davidis Matth,1/1. Luc. 3/31. 2 Tim.2/8. (5) In Bethlehem Matth.2/1. Luc.2/4. (6) Obmutescentibus oraculis Ethnicis, ut historiæ & experientia probant. (7) abrogatis Ceremoniis Leviticis, quod per eversionem Templi & Urbis factum esse quivis novit. (8) E Virgine Matth.1. Luc.2. (9) Ivit in Ægyptum & redivit Matt. 2.

[10] Fuit

(10) Fuit in Galilæa Matt.4/15. cap.2/23. (11) Habuit præcursorem in deserto Johannem Baptistam Luc.3. (12) Fuit Propheta ut Moses Luc.4/24. Joh.6/14. Act.3/22. (13) Fecit miracula, ut constat ex N. T. (14) Fuit pauper Matt.8/20. 2Cor. 8/9. (15) Ingressus Hierosolymam super Asinam Matt.21. (16) Contemptissimus fuit, ut constat Matt.13.55. (17) Portavit crucem & inter latrones mortuus est Matt.27.32,44. (18) Felle & aceto potatus est Matt.27.34,48. (19) Vestes reliquit dividendas Matt.27.35. Joh.19.23,24. (20) Sepultus est Matth. 27.60. (21) Incorruptus mansit Joh.20 27. (22) Resurrexit tertio die Matt.28.6. (23) Ascendit in cœlum Act.1 9 11. (24) Sedet ad dextram Dei. Marc.16.19. (25) Misit Spiritum Sanctum Act.2.4. (26) Instituit Baptismum Marc.16.16. &c.

Repetimus conclusionem:

Ergò Jesulus noster solus & unus, neq; alius, est verus ille mundo promissus Messias.

QUÆSTIO XIII.

Qualisnam fuerit illa Stella, Matth. 2/2. quæ Magis in Oriente apparuit?

BReviter dicimus (1) Non fuit Stella ex iis, quæ in principio mundi tempore creationis conditæ sunt & hodie adhuc in cœlo circumrotantur (2) Non fuit Cometa, sive tandem crinitus sive caudatus vel barbatus (3) Non fuit Stella nova fixa, qualis illa in Cassiopœja Anno 1572 existens fuit. (4) Non fuit Deus ipse. (5) Non fuit Angelus; sed (6) fuit corpus lucidum miraculosè à Deo creatum, & in aere accensum, ut luce suâ viam Magis monstraret. Verbo: Fuit Stella non Naturalis, sed Supernaturalis, adeoq; Stella impropriè tantùm sic dicta. Demonstrationem adjiceremus, sed non permittit hoc ipsum pagellarum angustia.

SoLI & VnI Deo, IesVLo nostro, MessIæ, sIt gLorIa.

FINIS.

M. KRAKAU KONIV. BIBL.